



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídkue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus XXII. De venia Inimicis danda. Cùm triplex tantùm Pacis genus sit, quo gaudere hac in vita quis potest, cum Deo, secum, & cum Proximo, ostenditur triplici hoc Pacis genere se privare, qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

commissa concernit, timeo etiam a-
que etiam, ne æternum peream, cum
modum non sciam; quo pro ijs satis-
faciam. Vobis ne istud quidem le-
vamini esse poterit, quod expiaveritis
noxas à vobis admissas; unde mirum
in modum conturbatio vestra crescit,
cum aquis undique confluentibus vos
obruvi videritis ac suffocari. *Torrentes
iniquitatis conturbaverunt me.*
Quòd si Deus justissimâ Irâ succensus
vos ipsis etiam æternis ignibus addi-
ceret, qualis ac quanta vestra in abyfso

illa foret desperatio! O quantis cæci-
tatem vestram lamentis detestarem-
ini? quoties admorderetis labia; eò
quòd verbis meis fidem non dedisse-
tis! Et tamen quàm est facilè, ut malo
hoc malorum gravissimo involvamini?
*Qui ruinâ latatur alterius, non erit Prover. 17.
impunitus.* Quid si non evadit im-
punitus, qui aliud non agit, quam
quòd ad vicinæ domus incendium
gaudio efferatur, quid illo fiet,
qui ignem ipse subje-
cit?

DISCURSUS XXII.

De Venia Inimicis impertienda.



Veteres quidem Æ-
thiopiæ Populi in
more positum ha-
bebant, omnem
certo quodam anni
die ignem extin-
guere, & postmodum novum reac-
cendere, quem silice ipse Rex elicuis-
set; pœnâque mortis in eos statue-
rant, qui aliunde sibi, quàm à manu
Regis, ausi fuissent providere. O
quàm beata foret Christianorum Na-
tio, si morem hunc laudatissimum
modo quodam spiritali ac mystico
observaret! Cuperem vehementer, ut
hic ille dies foret, quo, si quis corde
suo Iræ ac inimicitæ flammam adver-
sus proximum suum concepisset, om-
nem illum alienationis ignem extin-
gueret, & de novo sibi igne provide-
ret; non ad alium tamen quemquam,

R. P. Segneri *Christ. Instr. Tom. I.*

quàm ad Christum Dominum novæ
hujus flammæ gratiâ accederet, atque
ab eo ignem illum exposceret, qui ut
eundem in terris reaccenderet, ab us-
que Cælo se demisit: *Ignem veni mit-tere in terram, & quid volo nisi ut ac-
cendatur? Eia igitur, Auditores dile-
ctissimi, de Charitate nobis provi-
deamus; condonentur invicem inju-
riæ hæcenus illatæ & acceptæ, tol-
lantur inimicitæ, Pax novo fœdere
statuatur. An est quisquam vestrum,
qui votis tam justis non annuat? si quis
est, aures mihi suas attentus commo-
det, dum pluribus demonstro, quòd,
qui pacem negat alteri, sibi eam neget,
& suusmet re verissimâ sit hostis, qui
hostem se alteri profiteretur.*

II. Tres in species Pacem distin-
guit S. Thomas; scilicet quam cum
DEO tenemus, quam nobiscum, &

Q9

quam

quam cum Proximo, quam omnem sibi negat, qui cum Proximo In gratiam redire detrectat. *Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum?* ait S. Cyprianus. Et quidem quod Pacem cum Proximo habendam concernit, non est, quod dicam, eam enim Vindictæ cupidi non quærunt: de gemina altera loquamur; & primum quidem de Pace, quam quis secum habet, & quam hi sibi ipsis negant.

I.

III. Quid igitur est Pax? Respondet S. Thomas loco citato; *tranquillitas ordinis*: ita, ut si res fuerint in corde hominis turbatæ, Pax esse non possit. Jam verò, quæ major esse turbatio potest, quàm cum Rationi, ad quam hominis spectat gubernatio, Passio tam turbulenta ac plena Impetu, qualis est Ira, dominatur? Omnes inordinatæ Passiones in corde nostro faciunt, quod in mari venti, sùs deque vertunt omnia. *Impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Longè tamen magis Ira desævit, quæ inter affectiones nostras, ut inter ventos Typho, tenet principatum; ut enim ille ventorum est atrocissimus jam tum, cum nascitur, magnus; ita & Ira se habet. Alia vitia cor humanum sollicitant, Ira præcipitat, & statim magna est, cum esse incipit. Cætera vitia per incrementa proficiunt, at non paulatim procedit Ira. *sed dum incipit, tota est.* Ex quo argumentum capite; quanti sint fluctus, quos intra cordis turbati sinum ciet Ira, quàmque procul omnem requiem in fugam agat.

Seneca
l. 3. de
Ira. 6. 1.

Isa. 57.
2.

Id quod magis confirmatur, quando Ira in odium degenerat, ut in Basiliscum serpens: Ira siquidem, rationem saltem audit, quamvis auditam non sequatur: odium ne audit quidem, unde etiam prorsus intractabile evadit, insanabile penitus, & ita hominem dementat, ut non refugiat, jugibus sese planctibus conficere, dummodo is quem odit, non rideat. Subijcite animis vestris hujusmodi hominem Iræ exæcatum, quem sua indomita Passio armis onerat; à conventibus abstinere, ab hominum commercio abducit, ad insidias ubique locorum, etiam inter Amicos, timendas adigit, non nisi amarissimo quotidie felle pascit, in ipso etiam lecto & stragulis somno privat. An vindictam Inimici ipsi graviores ac immaniores possent sumere de isthoc homine, quàm de se ipse sumat, hostis ipse sibi, quàm quisquam alius esse possit, crudelior?

IV. Subit animum, quod de oblectis quibusdam civitatibus audire me memini: hæ, ut ne se hostibus permitterent, se ipsas longè majoribus calamitatibus affligerunt, quàm ab hostibus captæ ac direptæ accepissent. Cives Saguntini in Hispania, quòd se Annibali nollent tradere, postquam abominabiles quasque sordes in cibum admiserant, urgente fame, muris denique cædibus se ipsos sustulerunt, muris quoque, ac cædibus, quæ supererant, nequid de Sagunto hostis haberet, sub idem tempus concrematis; & sic ea sibi mala ipsi intulerunt, quæ à victoribus inferenda vix timere poterant ac suspicati.

S. Thom.
1. 2. 7.
4. 6. 4. 6.
9. 4. 1.
4. 3.

cari. Imago hæc est turbati cordis, quod majorem longè sibi noxam molitur, quàm Adversarius quisque infensissimus. *Grave est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.* Desiderium vindictæ quacunque rupe Alpium gravius est, & quocunque monte penosoponderosius, non solum alijs, sed ipsi etiam Iracundo, qui omnium primus debet seipsum sustinere: scilicet ipse stultus, ait Liranus. Volunt Jura, posse furentibus aliquid de pœna remitti, etiamsi atrox sit scelus admiserint, eò quòd ipse furor miseros satis ple-

Stat ac punitur. Potest de modo pœna eorum dissimulari, cum satis furore ipso puniantur. Pari ratione, qui totum eolunt, ut modose vindicandi, injuriarum sensum prodendi, & pari reddendi excogitent, alià multari pœnâ non deberent; cum ipse eorum furor, & quam hîc degunt, plena angoribus vita satis magna pœna sit.

Si Divites sunt, opibus suis frui non possunt; si Pauperes sunt, suis se sudoribus sustentare non possunt: necesse est eos à suis migrare, exules voluntarios, aliàs etiam coactos: & postquam aliorum bonorum omnium peritiam fecerunt, parati esse debent ad sanitatem, quin vitam ad eò ipsam amittendam. Observant Philosophi, quòd animalia illa, quæ bile minùs abundant, proportione quadam etiam vitam diutius protrahant; siquidem Ica ignis est qui cum, à quo in sinu fovetur, certius quàm quivis alius ignis consumit. Verbo, quòd plus Iracundiæ ac turbarum animo vestro

fovetis, tantò etiam plus doloris ac ærumnarum experiemini; sicut contrà, quantò plus Christianæ mansuetudinis in eundem admiseritis, tantò amplius sincerâ pace gaudebitis. Veritatem hujus rei comprobabit eventus, quem vestræ salutis studio jam nunc recensabo.

V. Militum non nemo publico in foro injuriâ ab altero fuerat affectus. In hac nihil illi intolerabilius visum, quàm quòd se ulcisci confestim non licuerit: nam qui magno numero præsentibus aderant, tamdiu farentem detinere, quoad is, qui injuriam fecerat, in tutum se reciperet. Quo factum est, ut miser infanti furoris flammis intus conflagraret: ut proinde mitigaret incendium intestinum, Passioni suæ tantum indulgit, ut palàm juratus assereret: se nec capillum, nec barbam, nec unguem refecturum priùs quàm de hoste se suo ulcisceretur. Tres ipsos annos hæc tenuit insania, sic ut quam animo, hanc jam etiam vultu toto, & habitu referret silvestrem bestiam. Inaudijt tandem, hostem, à quo læsus erat, tri-dui tantum itinere distare in certa ejus Provinciæ urbe; cum mox quasi ad nuncium omnium jucundissimum exhilaratus, conscenso equo, & telis omnis generis obarmatus jurare denuò institit, equo se non descensurum, dum locum vindictæ destinatum arripisset. Vos jam judicate, an probè fessus eò appulerit: appulit ramen: & resumptis ab ipso furore viribus, pro quiete, quam capere oportebat, obambulare forum cœpit, quod eo

Q. 2. potiss.

potissimum loco speraret sibi Adversarium obvium habiturum. Sed. ô inscrutabiles Divinæ Providentiæ vias! Sors tulit, ut eadem in civitate optimæ frugis plena Missio, ut vocamus, haberetur, eadēque ipsā horā Præco verbi Divini pegma eam in rem paratum in foro conscenderet, ex quo populum ad pœnitentiam cohortabatur. Cùm jam sacer Orator verba faceret, miles magis curiositate spectaculi, sibi profus novus, ductus, quàm pietatis veræ studio ad auscultandum accessit. Disposuit autem Divina Bonitas, quæ illo loco feram hanc expectabat, ut de condonandis mutuo injurijs etiam gravissimis, deque præmijs maximis, quæ manerent sic condonantes, tum sermo haberetur. Et fuit planè opportunissimum, quòd omnia, quæ à Præcone verba fiebant, Militi viderentur in se solum prolata, & oratio publica in unum se directa: unde post multam digladiantium inter se affectuum luctam decrevit tandem dare locum Gratiæ. Hinc finito sermone ac conclone dimittens ad pedes Sacerdotis, qui verba fecerat, se abjecit, & ut confitentem audiret, rogavit, pollicitus, Pacem se daturum proximo, quam à DEO ipse efflictim postularet. Neque hoc contentus, statuit, magno aliquo beneficio illatam sibi injuriam compensare. Quam ob rem cùm intellexisset, hostem suum ob æs alienum carcere detineri, rarâ admodum beneficiâ, divendito, quo advectus erat, equo & armis, nominibus expunctis, libertati eum asseruit, tanto

cordis sui jubilo ex actione tam generosa, ut solatium non satis caperet, & in posterum inimicum hunc suum inseparabilem vitæ comitem ascisceret, quem tanto tempore ad mortem investigarat.

VI. Expendite nunc in utraque Militis hujus conditione, & cùm inimicitias gessit, & cùm pacem ac veniam concessit: bellum ac turbas animi, qui inimicitias fovet; pacem verò & tranquillitatem ejus, qui odium posuit. Quæ unquam injuria eum ita afflixisset, ut afflixit odium, quo flagavit? & quæ unquam Vindicta tantam ei consolationem attulisset, quantam attulit impertita venia? Discite igitur exinde, nullam meliorem rationem secummet ipso pacem habendi inveniri, quàm eandem cum proximo tenere; & cor illud, quod in Inimicitias exardescit, globis illis ignea peste factis esse similitimum, qui sæpenumero omni sua servitute alteri nemini, semper tamen sibi nocent, dum in mille demum fragmenta dissiliunt. Id quod solum sufficere potest ad obturanda illorum ora, qui Christi non verentur Legem carpere, tanquam veterem multò rigidiorem; quæ tamen Lex Gratiæ non appellabatur, sed rigoris & austeritatis. Verum est, Antiquâ Lege majorem iræ licentiam patuisse: *audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente*, quam tamen Lex nova penitus tollit, ac interdicit: *Ego autem dico vobis non resistere malo*. Sed hoc ipsum est, quod Legem novam in praxi dulciorem facit, quam Ant-

Antiquam & Jugum Christi, nisi quis illud prius superbo exousserit, quam fuerit expectus, semper magis ac magis leve videbitur: maxime ex isto etiam capite, quod longè facilius sit, pacem animo afferre omni penitus rancore, omni alienatione extincta, quam si vel tenuis scintilla viva relinquatur. Verissimum est, Legem Christus restrinxit, sed quam ob causam? ut majore labore nos liberaret, ait S. Joannes Chrysostomus, & faciliorem redderet Legis observationem; quod in te nostra quam maxime accidere consuevit, in qua longè est facilius, omne omnino Odium deponere, quam illud moderari. *Inimicus si in-*

Hom. 2.
in epist.
ad Rom.

Ecl. 11.
16.

venenit tempus, non satiabitur sanguine.
Medicorum judicio dolores hamani corporis acutissimi ex bile originem trahunt; obtusi ex phlegmate; id ipsum etiam in animo evenit, cum doler. Sensus malorum nostrorum remissior fit ex patientia, quam in ijs tollerandis exercemus; intensior autem ex impatientia; & idem nobis accidit, quod feris, cum in laqueos Incidunt, quæ quò plus laborant se extricare, & in libertatem asserere, tanto magis se implicant atque intricant.

II.

VII. Et tamen damnū, quod hactenus exposui, omniū minimum est: Quia si vindictæ studium non aliam; quam quæ nobiscum ipsis nobis est, pacem tolleret, tolerabile id foret. Pessimum est, quòd illam etiam pacem eripiat, quæ nobis cum DEO intercedit, dum illius Gratiā confestim auferet,

*Non potest habere placatum Deum, quid. 90.
cum fratre non habes pacem.* Ubi, ut *Neque
ad Cain.* me bene percipiatis, considerare vos velim, quòd non in omnibus semper cordibus idem odium reperiarur. Ferræ, ait Aristoteles, quæ in Europa *de hist. a-
nimal. 4.
8. c. 28.
n. 11.* sunt, communiter fortiores ac robustiores sunt, in Asia autem crudeliores, in Africa denique Monstruosiores. Ita in animi Passionibus ferme se res habet, maxime in Odio. In quorundam cordibus plus humani habent, in aliorum plus belluini, in nonnullorum plus monstri. Invenietis nonneminem, qui litem & jurgium vel cum sui ipsius umbrā moveret (tam Ira est impotens) qui que omnem suum honorem in vindicandis injuriis collocet & cædibus, feritatem & truculentiam gloriam suam reputer. De hoc manifestum est, pacem illum cum Deo non habere; sed tanquam monstrum inter Peccatores, illam quoque pensi non habere; & ideo de hoc hominum genere plura dicere supersedemus. Alij sunt, qui pacem cum Deo non vilipendunt, sed quia animales magis, quam rationales sunt, non dubitant etiam cum Divinæ Gratiæ jacturā Passioni suæ obsecundare, quæ quidem privatos se & agnoscunt, & dolent, sed non quantum satis est ad eos in semitam reducendos. Et de his etiam supervacaneum duco pluribus agere: hi enim, cum à Sacerdote sibi dici audiunt, truros illos denique, nisi injurias condonent, ad Infernum, stultè prorsus respondent; *Illud fiet, quòd Deus voluerit;* tantum in instituenda vitæ suæ ratione belluini habent,

habent. Solùm igitur restat de illis porro differere, qui, cum irascuntur, plus aliquid hominis retinent: quia ex una parte volunt inimico veniam impertiri, ut boni Christiani; ex altera parte, si res suis momentis libereatur, non impertiuntur: & ideo apparentibus rationibus inducti sibi persuadent, omnem in corde Inimicitia ignem extinctum esse, cum tamen fumum vel ipsi observent, Hi cum Deo pacem habere se autumant, quam tamen perquam facilè est eos non habere: & ideo hos periculi commonefaciam, in quo eorum fiducia versatur, ne miserè fallatur; propter geminos scopulos sub aquis latentes, duarum scilicet omissionum, quæ, quamvis à quàm paucissimis observentur, valde tamen sunt culpabiles: ad hos allidi ipsi facillimum est, & cum tot alijs luctuoso sanè naufragio mergi. Prima harum omissionum est, quâ Inimicos suos salutare detrectant, cum deberent; altera, dum scripto veniam dare abnuunt. De utraque res postulat, ut accuratè vobiscum agam.

VIII. Quantum ad primam; ante omnia scire oportet, quòd non solùm licitum non sit, proximum nostrum, propterea quòd nos offenderit, odio habere: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*: Sed quòd etiam illicitum sit, odij in proximum concepti aliquid foris signum edere: ex quo ipsa ratione etiam inimici ab illo officiorum genere excludi non possunt, quæ communia dicuntur: hoc est à talibus Charitatis contestationi-

Levit.
19. 17.

bus, quæ personis omnibus ejusdem communitatis aut conditionis sine discrimine exhibentur: hoc enim de præcepto est. De consilio quidem est, ea Inimico benevolentia signa specialia, ac extraordinaria præstare, quæ nemini debemus: præcepto tamen tenemur, ne communia & omnibus debita negemus; ut, quæ foris apparent, internis respondeant, In corde autem neminem Inimicorum ab amore, qui proximo in communi debetur, excludere possumus; ergo neque exterius; quæ causa fuit, quare Christus, cum exemplum celestis Patris sui etiam in perduelles benevoli afferret, non nisi illa benefica allegaret, quæ omnibus sunt communia, scilicet: *Solem Matris suam oriri facit super bonos & malos, & pluvi super iustos & iniustos*: ut notum nobis faceret, quousque se porrigat vera obligatio amandi eum, qui nos odit: ad amandum scilicet amore illo communi, quem exhibemus illi qui nos amat. Jam ut ad propositum redeamus, quamvis salutare proximum nostrum, naturâ suâ sit signum benevolentia specialis & extraordinaria, quòd non cadit sub præceptum; nihilominus tamen si quocunque alios cives & gentiles vestros salutare estis soliti, non poteritis hoc ipsum benevolentia signum ei, qui vos offendit, negare, etiam antè quam satisfacit pro injuria: quia cum omnes alios saluteris, actus iste jam non est amicitia peculiaris, sed ordinaria & communis, à qua Adversarium vestrum excludere non potestis,

S. Thom.

2. 2. q.

25. 4. 6.

Solem Matris

suam oriri facit super bonos & malos, & pluvi super iustos & iniustos: ut notum nobis faceret, quousque se porrigat vera obligatio amandi eum, qui nos odit: ad amandum scilicet amore illo communi, quem exhibemus illi qui nos amat. Jam ut ad propositum redeamus, quamvis salutare proximum nostrum, naturâ suâ sit signum benevolentia specialis & extraordinaria, quòd non cadit sub præceptum; nihilominus tamen si quocunque alios cives & gentiles vestros salutare estis soliti, non poteritis hoc ipsum benevolentia signum ei, qui vos offendit, negare, etiam antè quam satisfacit pro injuria: quia cum omnes alios saluteris, actus iste jam non est amicitia peculiaris, sed ordinaria & communis, à qua Adversarium vestrum excludere non potestis,

Cajet. lib.

Layman.

l. 2. c. 3.

o. 4. c. 10.

DD. ab eo citatis, &

Ludov.

Carbo.

lib. de

Pacifi. Inim. 6. 2. 4. & 25.

restis, quin ejusmodi vindictæ genus exerceatis, quod sufficiens est, ut malè affectum animum, contra quàm præcipiat Charitas, nemo non possit certissimâ conjecturâ, nec sine scandalo, assequi. Et hoc longè adhuc magis verum est, si offensum fors tangat salutem reddendi, non primò dandi; tum enim humeros contrahere, & obverso tergo, ut nonnulli assolent, salutationem silentio præterire non inhumanum tantum est & rusticum, sed & injuriosum; est palàm declarare, vivâ etiamnum memoriâ injuriam teneri; est negare Proximo non indebita tantum charitatis officia, sed debito manifesto defraudare. Nec culpa se eximunt, qui similibus dicendi formulis silentiū suum excusant: *Non ei volo malè; non eum volo offendere; sedeat vias suas.* Non eximunt, inquam, se, etsi multi, qui studiosè se decipiunt, credant, se hujusmodi protestationibus satis tutos esse. Quare autem non valet excusatio? quia protestatio, ut ut speciosa, contraria est facto. Cervus felle caret: viscera tamen aded amara habet, ut etiam canes ab illis abstinant: & tales saltem sunt, qui ita loqui consueverunt. Quod si enim Anatomix subijcerentur, forsan felle inimicitix denunciatæ non turgerent; ne utiquam tamen bile per viscera sparsa, occulto scilicet rancore, carent, qui amaritudine omnia inficeret. Malam illi optatis nullum; at si malè illi non vultis, quomodo sit, irationes manifesti contemptus indices exhibeatis? Ne, quæso, ne

fidatis vobis. Auditores Dilectissimi; cum eo enim Domino res vobis est, qui cordium recessus intimos scrutatur: *Cordis scrutator est verus;* at- *Sap. 16* que ideo, cum coram se charitate vacuos conspexerit, odio suo dignos vos reputabit: *Qui non diligit, ma. I. Joan. 3. 14.* *net in morte;* non solum qui odit fratrem suum, sed qui non diligit. Quid igitur vobis fiet, si fallimini? Dicitis, nemini vos malè velle; ego autem, ut ut velim, non possum credere: cum non videam, quomodo non grandis vindictæ species sit, cum omnibus agere humanè, omnes alloqui, respondere omnibus, solum adversarium his officijs excludere? Quid facit Ecclesia, ut Sacris interdictos grandi pœnâ mulcet? à commercio eos aliorum removet, & familiari cum cæteris Christianis conversatione interdicit; quin & indignos judicat, quibus alij salutem dicant: *Nec Ave ei dixeritis.* Vos eadem severitate Proximum vestrum mulctatis? *10.* *net Ave ei dicitis,* & postmodum vultis, ne quis silentium hoc vestrum vindictæ nomine censeat, etiam momenti non levis? Lege Christi obligamini Proximum vestrum fratris loco habere; vos autem pejus quandoque accipitis, quàm si foret exterius, Tartarus aut Turca; neque enim difficile vobis accideret, Turcam salutantem resalutare; Christianum autem mutuâ salute impertiendâ honorare dedignamini, quia vos offendit. Omnino igitur odistis illum.

IX. Malam auget, quod non Adversarius tantum vester, sed quiscun-

que

que ei necessitudine quadam juncti sunt, ut partem offensæ in vos exercitæ nullam habeant, imò factam improbent, isthac benevolentia mutua significatione excludantur, & numero Inimicorum eo solùm titulo habeantur, quòd quocunq; tandem modo ad eum pertineant, qui vos offendit. An majus odij vestri intestini indicium ac signum exposcitis, eò profundioris, quo magis clausum in fundo hæret? *Ira*, ait Philosophus, *semper in singulos, concipitur, Odium vero etiam in genera, & sic latroni, exempli gratia, irascitur, qui nos publica in via adortus est; odio autem omne latronum genus habemus. Qui igitur vos jactatis, Iram vestram non nisi simplicem tantùm Iram esse? Et enim si talis esset, sisteret in eo, qui vos offendit. Dum igitur in totam cognationem, etiam innocentem, eam extenditis, manifestum fit, furorem illum, qui Ira nomine vobis venit, verissimum esse odium, odiumque tam intensum, quod non eum tantùm, qui injuriam vobis intulit, sed omnes, qui bene illi volunt, invitos reddat ac abominabiles.*

X. Addite, quòd *Ira cum tempore evanescit; Ira est sanabilis tempore; & quamvis impetu majore feratur quàm odium, minus tamen est fixa ac stabilis. Quod si igitur Ira vestra, Ira simplex foret, post menses & menses, ac fortè annos ab injuriâ acceptâ elapsos, deflagraret. Sed viget illa, ut ex officijs humanitatis, licet facillimis, negatis tamen, abundè pater. Signum ergo est, Iram vestram plus*

de odio, quàm Ira habere: *Oidium est insanabile; & senescendo non tantùm non infringitur, sed novas semper vires accipit, ita, ut tempus ipsum, quod Ira medicinam affert, Odio cedat in alimentum.*

XI. Et hanc ipsam ob causam videte, quàm jure ac meritò omissionem istam damnemus ut culpabilem, quàm aliqui liberimè admittunt, dum indignantur proximum suum aut salvando praverit, aut salvantem responderi. Non solùm qui ita se habet, debita charitatis obsequia Proximo suo negat, qualia sunt officia benevolentia, humanitatis, ac civilitatis; sed facillimum omnino est, ut hæc ipsa ex rancore aliquo non vulgari denegat; ita ut in homine, maximè urbanitatis aliàs studioso, rancor iste impellat ad urbanitatis leges negligendas. Et hic primus est scopulus, quem supra monui omni contentione vitandum. Quid de altero dicemus, in quem, qui veniam scripto dare refugiunt, incurunt? Dici certè non potest, talem superabundantiam Pacis hostibus præstandam lege charitatis præcipi, sed consultitur tantùm. Hoc non obstante ostendam, etiam in hoc vado, quod omnino tutissimum arbitramini, scopulos plurimarum animarum excidio infames reperiri.

XII. In primis doctrinam hanc ut universalem, & pro omni casu obligantem non vendo, quasi verò quilibet obligetur publico Instrumento injuriam sibi irrogatam remittere. Neque enim ignoro, hunc in finem Judices esse constitutos, & magno numero

Lib. 1.
Rhet. 6.
4.

numero Justitiæ ministros; ut qui gravi injuria provocatus fuit, habeat, quo sine peccato rem deferat, & Jus tibi dici postulet. Dico tamen, non rare contingere, ut, qui præcepto charitatis in alios exercendæ non obstringitur, teneatur quandoque vinculo adhuc majore charitatis erga seipsum. Accidit enim, ut in ipsa praxi nullum sæpenumero remedium occurrat, quo conceptum quis in adversarios rancorem ex corde evellat, nisi publicâ hujusmodi reconciliatone, ad quam alias non obligaretur, animum ad mutua pacis constantiam obfirmer.

Laym. 4. Et sic iidem Doctores, qui affirmant, 2. tr. 2. c. nullâ charitatis erga Proximum lege quemquam teneri, ut memoratâ superioris in eundem pacis ratione utatur, Conf. 5. de Pen. Suarez. disp. 5. de Char. sect. 5.

Diodor. Sicul. rer. ant. 19. l. 1. s. 3.
 Similis est morsus odij; unde præstantissimo opus est balsamo, quo cicatrix obducatur, & chirurgo peritissimo, qui omne pus, quod in imo plagæ residet, expurget. Sunt nonnullorum hominum genij tam pertinaces, ut acceptarum injuriarum obliviscantur nunquam, ne tuin quidem, cum vi-
 R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

vere ipsi desinunt; vivum siquidem per frequenter tanquam hæredibus totifamiliæ odium relinquunt, haud aliter ac aliud vitæ aut professionis genus. Tali igitur indoli hoc opus est balsamo pacis publicæ, & Chirurgi munus obeunt Prudentes Confessarii, qui Pœnitentem adigunt, cum sapienter judicant, eum non aliter posse ad Christianæ vitæ normam ac regulam perducere, quam si plus aliquid, quam charitas à DEO præcepta requirat, ultrò præstiterit. Ita ferme cum distortis artubusculis sit, quæ vix aliter erigi possunt, quam si in latus alterum, à quo deflectunt, vi adhibitâ rectorqueantur, & cum stare ipsæ rectæ non valent, ne porro declinent, vinculis ligentur. Id quod in primis fieri convenit, cum personæ magnæ cujusdam auctoritatis in concordia concilianda laborant, & qui offensæ auctor est, pacem demissè petit, paratus ad Arbitrorum nutum præstare, quidquid ipsi ad abolendam injuriæ memoriam opportunum censuerint: tunc enim, qui offensus est, nullam porro excusationem poterit obrendere: cum omnes in hoc conveniant, quod Inimicus non modò talis jam non sit, sed nec dici possit, utpote qui faciat, quantum potest, ut ex inimico in Amicorum numerum referatur.

XIII. Et hoc tantò magis, quòd in negotio tam gravi plerumque offensus vehementer hallucinetur, dum sic arguit: *Potest negari Pax etiam sine DEI offensa; ergo & ego eam sine tali offensa negare possum.* Paralogizat, qui ita disserit. Non nego equidem,

R r

posse

Mag. 3. Sent. d. 30. cum S. Thom. & alijs Doctoribus ibid. &

S. Thom. in ep. ad Rom. c. 2.

l. 3.

posse offensum licitè velle, ut Magistratus suo in castigando Inimico munere fungatur: scilicet hac ratione vel Adversarius emendetur, vel Delinquentibus animus infringatur & audacia, quæ, cum scelera sua vident impunita, augetur & crescit. Non inquam, hoc nego, cum uti dicimus, in abstracto loquimur; at quòd hîc & nunc offensus Inimicis suis veniam negent, hujusmodi rationibus & boni communis studio inducti, & non magis odio privato impulsî, hoc enim verò admodum difficile est, & re ipsa perquam rarò accidit; cum vix unquã inter privatos contingat, ut, cum causam suam in tuto locaverint, ita Justitiæ sint tenaces ac studiosi, ut toto eam mundo velint resplendescere; idèmq; ferè esset, ac si facibus suis Solis

Can. 6. vellent radios juvare: *supervacuis laborat impendijs, qui solem certat facibus adjuvare.* Hinc Theologi, quando asserunt, quòd licitè omnino pœna Inimici possit apperi, adjungunt

ramen semper, quòd in praxi res hæc admodum dubia sit ac difficilis; nec omittunt lectorem monere, gravis deceptionis posse eum periculum incurtere. Et certè, si tam esset facile, tali in eventu omnem passiõem exuere, atque ex sola ratione operari, non capio, quomodo Sacrosancta Concilia oppositum unquam supponere potuissent. Scimus autem, quòd Concilij

Can. 93 Carthaginensis quarti prohibitionem cautum sit, ut ne illorum oblationes ad Altare acciperentur, qui hujusmodi publicam reconciliationem detrectarent. Concilium Toleranum Un-

decimum etiam statuit, ut ipsdem in super sacratissima Communio negaretur. Plus voluit Concilium Agathense, scilicet, ut qui reconciliari nollent, solenni forma Ecclesiæ Sacris amoverentur. An non sciebant forsàn omnes illi sanctissimi ac sapientissimi Patres, licere offenso ex Zelo Justitiæ, & solius boni publici studio procurare, ut qui offendit, tanquam reus plecteretur? Sciebant omnino, altiori tamen, & plus quàm humanã prudentiã, id quod fieri solet, non quod potest, considerabant. Nòrant, quòd Homines in praxi non ita moveantur causis ab omni vitio purgatis, etsi veris, si suis res momentis perpendatur, sed occulto rancore, acerbitate & livore. Non ignorabant, plus in eorum cordibus spiritum vindictæ posse, spiritum, quem Gadodæmon infernalibus suis folibus animat & inflamat. *Halitus ejus prunas ardere facit.*

XIV. Non creditis mihi? At claris adèd indicijs monstrabo, ut fidem vobismet ipsis habeatis, atque hæc alia non sunt, quàm hominum illorum vultus & lingua, qui pacem ac veniam petentibus impertire recusant. Vultum primùm alicujus istorum observate. Si enim is non dico offensorum suum, sed de familia tantum illius aliquem obvium habet, ut ut innocentem, mox cohorrescit, attollit supercilia, expallescit, perinde ac si peste infectum offendisset. Et hi jam sunt illi, qui veniam Inimico negant ex motivo adèd sincero & puro Justitiæ? feminam gravidam, ajunt Medici, cum utero

utero masculum gestat, plerumque colore admodum vivido esse; at si femellam parurit, colore lurido. *Si Hipp. l. 3. marem gestat, vivido colore est, si samiam, fædo.* Quidni igitur ego quoque ex colore lurido, quem in vultibus pertinacis odij hominum observo, possim arguere, factu malè fortunato eos esse gravidos? *Iratus est Cain Gen. 4. vehementer, ait Scriptura, & concidit vultus ejus.*

XV. Et tamen signum hoc longè minus est certum illo, quod ex lingua habetis, quæ interpres humani cordis longè est fidelissima. Sermonem apud hos de eorum injurijs movete, mentionem de ijs facite, à quibus offensi sunt; audietis eos remotà omni verecundiâ injurias suas illis, quas Christo Judæi intulerunt, exæquare, & eos, à quibus ipsi offensi sunt, Christi tortoribus comparare. *Proditus sum, dicunt, ut proditus est, Christus, Iste, & iste mihi Judas fuit. Non est ei similis Proditor in Mundo.* Quid vobis de isthoc loquendi modo (usitatissimo tamen) videri? an putatis credi posse, quòd pacem non ex spiritu vindictæ turbido, sed æquitatis placido atque pio rejiciant? Lingua indicio manifestissimo est, quo peccans in homine humor dignoscatur: nam si rubra est, sanguis excedit; si pallida, phlegma abundat; si nigra, atram bilem prodit. *Humorum dominium colore refert.* Si in hominum istorum cordibus nigerrimum non delitesceret odium, nunquam in tam funestas loquendi formulas lingua solveretur. Et verò re ipsa ex centenis,

qui in gratiam cum Inimicis redire nolunt, non invenietis unum unicum, qui, si præter expectationem causam rogetur, ob quam redite nolit, illico nihil hæsitans respondeat: ideo redire deirecto, quia boni communis ratio id requirit. Omnes potius, nullo ferè excepto reponent: injuriam nimis fuisse gravem; non posse se ante oculos ferre Sycophantam talem plañe nequissimum: offensam recentem esse, concordiam esse dubiam: Stultorum esse, anguem in sinum immittere, cum procul ab ipso quis stare potest. Et cum urgentur vehementius, ad rationes denique à Justitia petitas confugiunt; ex quo manifestè apparet, hanc eorum constantiam, dicam, an animi duritiam, revera non ex Zelo inter homines tam raro, sed ex rancore, qui Zeli nomine obvelatur, prodire; ignemque Iræ illius non ex thure, quemadmodum sibi persuadere allaborant, sed bicumine sumere alimentum.

XVI. *Non volo illi malè (dicit nonnemo) sed mores illius aversor: peccatum odio habeo, non peccatorem.* Animusne vobis est, qui ita loquimini, etiam coram tribunali Divino hujusmodi dicta affirmandi? Odi peccatum, non odi peccatorem? quomodo peccatum odistis; si illud plus quam vosmetipsos amatis? ut illud corde recipiatis, non veremini, omnia & Gratia & Gloria, quæ per omnem beatæ vitæ æternitatem sperare potestis, bona præsentis jacturæ periculo exponere; & videri postmodum vultis peccatum, non peccatorem

Rr 2

odisse

odisse? Si videbas furem, currebas
Psal. 49. cum eo, improperebit vobis DEUS,
 18. & cum adulteris portionem tuam ponebas. Vos autem quid respondebitis? Tortes (urget) in domum alienam intulisti mille dedecora & probra, mille jurgia tuis impudicitijs; & nunc odio peccatum non habebas; nunc autem cum de Inimico sumenda vindicta est, cum reparandæ injuriæ, & abolendæ noræ, quæ familiæ tuæ iniustæ sunt, insolito in peccatum odio ferris. Tortes cum pravis Socijs tuis ad omne genus flagitij operam tuam junxisti, & peccatum odio non habebas; pejerasti, & peccatum non oderas; egentes exspoliasti, & peccatum non oderas; Pupillos circumvenisti, & peccatum non oderas, derisisti pierati præ alijs deditos, & peccatum non oderas; calumnias intorsisti, insidias struxisti, fraudes machinatus es, manus tuas humano sanguine contaminasti, & in his omnibus peccatum non oderas. Et nunc vas electionis specioso plenum odio haberi vis, cum sis vas Iræ ita plenum iniquitate, ut ex omni parte exundet, Procul hinc à me discede; etsi enim vanissimis tuis persuasionibus homines in fraudem induxeris, me tamen decipere non valuisti: Nunquid DEUS decipietur, ut homo vestris fraudulentis?

Job. 13.
 9.

XVII. Nemo sibi persuadeat, quod eodem tempore odisse peccatum & amare peccatorem, res sit tam facilis, ut eam opere exequi primum sit unicuique. Opus est, DEI dignum corde, & ab hoc, qui sine periculo illud

exercere volunt, discant oportet. Et quod quam imitatu est arduum; magno sane Gratia auxilio opus est, magno in naturam dominio, quæ Gratia cedat, Si Vir tam fortis, qualis fuit S. Ambrosius, in vicem quod sumptus in omnem deinceps vitam suppeditaret infami cuidam sicario, qui ad eum occidendum immisus fuerat, voluisset ex Zelo Justitiæ, ut juxta meritum suum plecteretur, non multum laborarem, ut crederem, hujusmodi Virum hoc optando rectè ac sapienter egisse: at quod homo peccator in hujusmodi casu eadem æquitate procedat, qui nunquam non cupiditatibus suis obsecundavit, virtutem nullo unquam loco & pretio habuit, vitium autem primo ac præcipuo, in quo Gratia infirma ac debilis, Natura robustissima fuit; non possum, ut verum fatear, adduci, ut credam.

XVIII. Pauper quidam ruricola, cum in silvam lignorum colligendorum gratia profundius penetrasset, fluitum post se in parietinis repositum reliquit: Subito autem cum respiceret, vidit filij sui pedem viperæ adrepentis spiris involvi, atque viperam veneno lividam jamjam vulnus illi, ac necem morsu intentare. Ad repentinum hoc periculum Paternus Amor icætu suavit, eumque tam dextrè vibravit, ut ejusce rei memoria ad seros posteros propagaretur. Ferro siquidem, quod manu gerebat, eminus projecto ita Serpentem in partes dissecut, ut crus, circa quod Serpens se implicaverat, nulla ex parte læderetur. Similes vobis icætu ten-

tan-

randus est, si peccatum odisse, à peccante autem non abhorreere vultis; unde nemo non videt, quã arte sit opus. Indubitarum mihi est, fore, ut etiam Sancti cuiusvis, hac in re peritissimi, brachium tremere, si istus illi tam periculi plenus tentandus esset.

XIX. Sed quid porro rationes accumulò? Quinam illi sunt, qui publico instrumento contestari pacem recusant? forsitan ex omni populo modestiores, magis que continent, ac charitatis studiosi? Dicam. Homines plerumque sunt vitã infames, superbi, Homicidæ, Protervi, ac voluptatibus obscænis dediti; & hi postremi præ alijs omnibus: nam, ut ait Seneca, *Ira voluptatibus generatur.* Qui effeminati magis sunt, etiam sunt magis iracundi ac ferri: vel quia ex eodem vitio summa feritas erga alios nascitur, & erga se animus extremè mollis; vel quia lascivi in lacuna cordis sui Serpenti infernali gratiorem receptum parant, qui eos ad vindictam extrimulat. Observant rerum naturalium periri, quòd omnibus animalibus dentes aut excidant, aut mutantur, solo porco excepto, qui dentem non perdit, aut mutat. Notavi & ego sæpius, eos demum ex mortalibus omnium in ponendis Iræ dentibus esse difficillimos, qui porcorum instar semper in cæno sunt: cum his frustra reconciliatio tentatur, nullam hirationem audiunt, omnem petitionem, unde pax sperari possit, rejiciunt. Manifestum igitur ac clarum est, non adedè pronum quemque ad creden-

dum esse debere, eum, qui veniam, sibi minimè noxiam, utilem Inimico, impertiri renuit, non odio, sed charitate, & publici boni studio moveri. Quia si duo motiva proponuntur, ferat id, quòd magis est ponderosum, prævalet; non aliter ac ille ex ventis simul spirantibus navem fortius propellit, qui plus habet impetûs & roboris.

XX. Non cuperem proinde, ut multum rationi huic inniteremini, cui dicitur: *non odi hominem, sed vitium.* *Joan. 2.* *Qui odit fratrem suum, in tenebris est,* *11.* *& in tenebris ambulat,* ait Apostolus Joannes, *& nescit, quo eat, quia tenebra occæverunt oculos ejus.* Odium ita excæcat, ut, quæ ante oculos habemus, videre nos prohibeat; quæ igitur adedè facile illa videbimus, quæ intra nos sunt condita? sic hac ratione, ut, qui passione quadam abripitur, *nesciat, quò vadat,* magnisque passibus ad Orcum properet, cum ad Cælum pergere sibi videatur, & ad Sacrosancta Mysteria accedat bufonis instar veneno turgentis, cum se columbam felle carentem arbitratur. *Caligavit ab indignatione oculus meus,* dicebat Job; *Conturbatus est in ira oculus meus,* agebat S. David. *30. 10.* Quòd si Sancti ita loquebantur, quæ Peccatorum in hisce eventis erit fors ac conditio?

XXI. Nec difficilis tantùm cognitu est Ira, an juxta, an contra rationem feratur, ob hunc ipsum fraudulentum, quo se obregit, colorem; sed æquè ardua curatu; ita quidem, ut

Rr 3

S. Tho.

Arist. 1.
2.
Anim.
6. 1.

S. Thomas opinetur; potentia Irascibilis impetus magis esse superatu difficilis, quam facultatis Concupiscibilis invitamenta; (quamvis hæc assiduitate, quâ (uos stimulos admoveat, magis modesta sit) & causam assignat, quod Ira longè plus rationis & causæ, saltem apparentis, habeat, quam Libido: unde sicut minùs operationes suas erubescit, ita difficiliùs

S. Thom. etiam, quàm de suis Luxuria, dolet; *1. 2. q. 356. a. 4.* hæc enim utur larvam, quâ se obtegat, inquirat, ipso tamen nomine suo inhonestam se prodit. Nulla febris tam curatu difficilis est, ut hæctica; aliæ enim omnes humoribus sese miscant, eosque accendunt, hæc autem partes solidas invadit, quæ fit, ut pertinaciùs etiam hæreat atque perduret. Sic qui irascitur, nunquam sine ratione irasci sibi videtur, & ideo ignis ille, qui intra medullas succensus est, velut, qui cum quadam convenientia & ratione operandi effervescit, tam difficulter extinguitur, ut ad usque infernum quidam illum deferant; & ibi priùdum intelligunt, pestem se hanc sinu fovisse, quando jam tempus non est illam excutiendi sed poenas pro ea tam diu retenta tolerandi.

XXII. Hæc ipsa difficultas, quam in emendanda & subigenda Ira experimur, plurimum etiam facit ad tenebras in iracundorum animis augendas & intendendas: etenim, cum in nos Ira dominatur, facilè nobis persuademus, citra noxam à nobis fieri, quod facere posse percipimus. Dum

Moral. *1. 5. q. 30.* *perurbata mens iudicium sua rationis exasperat, ait S. Gregorius, omne quod*

furor suggerit, rectum putat. Ut adeò perspiciat, quàm multis ex capitibus parùm ijs fidendum sit, eorumque responsis, qui irati nolunt vel audire eos: qui de concordia mentionem faciunt, dicuntque: velle se, ut nebulones puniantur; & liberè spargunt, culpæ oses esse se; quin homines culpæ reos oderint, perinde ac si affectionibus suis dominarentur haud aliter, ac Navarchus, qui tranquillo mari temonem dirigit.

XXIII. Quapropter omnino ab re est, tanti rem momenti fortuito eventui committere, & cum quis rano se potest fitmo ac robusto sustinere, caducum atque debilem apprehendere, quocum in præcepseat. *In re. S. Aug. bus ad salutem Anima pertinentibus 1. de hoc ipso quis peccat, quod certis incertis præponat.* Quæ est doctrina S. Augustini. Quando de Anima salute agitur, convincitur parùm amare Animam suam, quæ eam in tuto non collocat. Cùm DÈI amore Inimicis vestris injurias remittitis, certi estis, veram erga proximos charitatem in vestris cordibus habitare, adeò Splendidi sunt ejus radij, qui translucent. At cùm ignoscere non vultis, estis omnino incertissimi; cùm longè sit faciliùs, vos invidiæ ac rancoris impulsu veniam negare, quàm amore Justitiæ. Ut quid igitur veniam d. stertis? plurimum certè interest, securâ sese semitâ continere, dum, cùm aliâ itur viâ, & erratur, remedio non est locus, ac necessariò peritur.

XXIV. Cùm post captivitatem Babylonicam Populus Israëliticus Solyas

lymas rediret, creditum fuit, superfore ignem pro Sacrificijs, quem Jeremias occultaverat; sed loco ignis aquam repererunt stagnantem & lutulentam? *Et non invenerunt ignem sed aquam crassam.* Quid si idem vobis quoque eveniret; Quid si etiam vos coram Tribunali divino in vobis ignem charitatis inquireretis, & loco ignis reperiretis aquam turbidam, terrestrem, lutolam odij inveterati & nunquam depositi? Quid inquam tunc vobis fieret? an non de omni pro vobis bono actum foret? siq; charitate nulla Deo victa magrata est: *si raderero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vetus est: aqua illa crassa, & ut ita dicam, mortua, quam populus invenit, cum radijs solis fuit exposita, stupendo prorius prodigio in luculentam subito flammam mutata est: Aqua tamen vestra semper eadem, languida, quæ & mortua permanebit; siquidem nullus vobis Sol orietur, omne vobis lumen extinctum erit; nox succedet profunda, sinem non habitura: *Non erit amplius sol ad lucendum.* An his auditis & perpensis horror artus non occupat?

XXV. Ad sedandam Adolescentulorum Iram, ajunt, nullum esse remedium promptius, quam si frigidâ eorum tergum perfundatur. Accepto hoc remedium in omnium illorum salutem, qui furore hæctenus implacabili aguntur. Tantum vobis gelidi timoris affundam ex consideratione status ac conditionis vestræ, ut momento valerudinem recuperetis. Id

quod non aliâ meliùs ratione faciam, quàm eventus cujusdam terrifici narratione, ex quo cognoscatis, quid tandem sic, extremis admoveri priùs, quàm ponantur ex animo odia, aut ea ponere volentibus opera jungatur.

XXVI. In Cœtu aliquo plurium *Bellar. ad 5. Præc.* duo agebant, amici primùm, mox autem Vatiniano inter se odio dissidentes, ad eum ut neuter alterum obvium salute dignaretur. Duo menses abierant, cum, qui injuriam intulit, fatali morbo correptus est: quo in periculo constitutus, antequam Sacris Christianis muniretur, offensum ad se evocari curavit, & præsentibus multis veniam ac pacem rogavit. Nec renuit alter, quantum quidem ad speciem externam attinebat; sed sicut in animo offensam non condonaverat, ita in suo ab ægrotante discessu amaro cum risu ad circumstantes dixit: Tandem superbus iste ac tumidus, timorem prodidit. Audiit malo suo fato verba isthæc moribundus, & reforbens, quod evomuerat, venenum, & quidquid posuerat, odij, si ita, inquit, se res habet, nec ego tibi condono, quod nunc effutiisti, nec cupio, ut mihi, quam prior intuli, injuriam renittas. Hæc inter loquendi facultate destitutus, nullis nec precibus, nec rationibus cessit, sed obduratus animam exhalavit. Postquam illatus est tumulo, ecce! omnibus mensæ asistentibus ferale spectrum adstitit, & voce horribili: ubi est, exclamavit, ubi est, scelestus ille, cujus causâ in Infernum detrusus sum? ita est, damnatus

2. Mach.
I. 20.

1. Cor.
13. 3.

S. Aug.
1. de
Bapt. 10.

1/a 60.
19.

Arist.
sec. 8.
probl. a.
17.

natus sum ob odium, quo, cum animam efflarem, in illum flagravi; sed nec ille, qui tantam exitio meo causam dedit, erit salvus. Et cum dicto in illum, ut Canis in Canem, involavit: Hic autem arctè prehensus, dum se moribus extricare laborat, ne in abyssum abripiatur, spectrum verò moribus arctiùs obluentem stringit, ut secum auferat, subito sub ambobus terra magno se hiatus aperuit, & ambos absorpsit, dum quis alterum luctando superare nitentur. O Aquam frigidam, Auditores, ad extinguenda lætæ incendia, agite, quid vobis videtur? an non æquum est, ut qui tali conditione sunt, timore ac tremore percillantur? Mors instat omnibus; ita omnino, omnibus, omnibus. Quid si igitur vitam antè, quàm odium finiremus? Meritò proin ad omnes verbis utor Ecclesiastici, qui me hanc in vos aquam effundere docuit; *Memento novissimorum & desine inimicari.* An non & solius mortis memoria sufficiat, ad omnem quocunque demum fervore ebullientem iram extinguendam?

XXVII. *Memento igitur, memento novissimorum.* Considerate, mortem moras trahere non posse; atque ideo tam stulti non sumus, ut periculo nos exponamus moriendi instar Canum ejusmodi rabidorum. An fieri poterit, ut odia nostra antè nos non expirent? Visum est etiam Gentilibus id esse rationi dissentaneum; qui propterea dicebant, mortaliolum tras licet alioquin justas, injustas fieri, cum fuerint immortales,

Quantò igitur magis hoc absolum videri debet Christianis? Flumina, ubi in plura brachia fuere divisa ac distracta, antequam ad mare sese recipiant, denuo conjunguntur. Et Christiani inter se discordes ac divisi in mare æternitatis abire volent, quin perfectà concordia uniantur? non ita procul à nobis mors distat, ut ad conjunctionem hanc diu procrastinare sinat; imò contrà tam est nobis vicina, ut non jam possimus dici in pulverem abituri, sed jam esse pulvis: *Pub. Gen. 3. vis es, & in pulverem reverteris.* Et 19. sub tam modico cinere tantus sit ignis?

XXVIII. *Memento novissimorum.* Pependite, quòd morti judicium succedat, ex quo sententia dependet, aut salutis, aut exitij sempiterni. Quid igitur agitis, si nulla vos sollicitudo tangit, misericordiam Proximis exhibendo benignam potius ac misericordem, quàm rigidam ac formidandam ex Judice sententiam audiendi? In cuiusque manu est, modum ac rationem eligere, quàm à Deo judicetur; aut clementer, aut rigidè & inclementer; & non est, qui curet? Humanis etiam Legibus constitutum est; ut ijdem statutis ac Legibus Actor conveniatur, quibus ipse Reum subiectum esse voluit. Reputate igitur vobiscum, an non amplius quid Leges Divinæ à nobis postulaturæ sint: *Dimittite & di. Luc. 6. mittemini,* ait Christus: Vos interim 37. quid respondebitis, si ex corde veniam non concesseritis? *Nisi remiseritis* Math. 2. 8. 33. *unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Parum proderit, stultà vobis opi-

Ecol.
28. 60.

Arist. 1.
2. Rhet.
6. 22.

Matth.
2. 8. 33.

opinionem persuasisse, quasi veniam tribueritis, quando revera non tribuitis: *dicentes Pax Pax, & non erat Pax.* Quid enim pro excusatione vestra obtenderis? forsan, omnes vobis Theologos assensisse, posse veniam negari ex Zelo justitiæ, cujus est reos punire? Optimè: sed Theologi quoque respondebunt; nunquam se assensisse, ut ipso facto veniam ex hac ratione negaretis; solummodo dixisse se, ex hac ratione posse negari. Reponetis porro, ipsos etiam Confessarios tali doctrinâ nixos, nunquam se difficiles præbuisse in impertienda vobis absolutione, quamvis pacem rogati, in illa neganda immobiles persistere. Optimè. Sed Confessarij denuo reponent, absolutionem vobis se impertivisse, contestatis, vos interea ijs, quibus pacem negabatis, nil quidquam mali velle ac cupere. Et tunc quod effugium supererit? Quod si tam Confessarij, quàm Theologi vobis concesserint, inimicis vestris injuriæ remissionem negare, etiam cum viderent, vos ad eam negandam non nisi livore concitari; sciatis velim, eos non tantum vobis ad salutem non profuisse, sed sibi insuper ipsis damnationem accersivisse, tanquam incendij illius promotores, quod in animis vestris extinguere ex munere suo debuissent. Procul hinc fraudes inanissimas, procul vanas excusationes! Tutiora in negotio tanti ponderis eligamus.

XXIX. *Memento novissimorum.* Memoriam tenete, jam à sex mille annis in ipsis terræ visceribus fornacem im-

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

menso igne succensam ardere in ultionem potissimum eorum, qui injurias pertinaci odio persequuntur. De his enim maxime per Ezechielem dicitur: *Descendant in Infernum cum Ezech. armis suis.* Quia licet Dammati omnes sua secum vitia deferant, illi tamen, qui vindictam spirant, eadem secum portant, ut porro exercent. Ita, Rancor, Furor, Odia intestina, sunt ignes, qui etiam in Inferno ardent. *Vi. S. Th. via spiritualia in damnatis consumantur, docet S. Thomas. Et ideo quo plus hujusmodi ignis accenderitis, tanto habitatoribus infelicissimæ illius abyssi similiores esse cœpistis. Vindicate, vindicate vos, sæpenuerò Caco-dæmones in nocturnis Sagarum conventibus clamabant, alioquin vos jugulabimus. Ulciscimini vos: alioqui moriemini: Usque adeò Caco-dæmones ad vindictam anhelant.*

XXX. Ex altera parte *Memento novissimorum*: oculos vestros ad pulcherrimam illam pacis regionem levate, ubi Beatus quivis perpetuo charitatis vinculo ligatus alteri jungitur, nec suum magis, quàm alterius bonum amat. Viam intus ad illam simul perrecturi patriam, *ne irasca- mini in via.* O quàm amplum vel una die præmium recipietis, si Dei amore vos ipsos in re sensui tam durâ, qualis est, reddere pro malo bonum, deviceritis! Sanctus Engelbertus Archiepiscopus Colonienlis ob unam talem victoriam ad Cælestem Martyrum Chorum fuit delatus. Unum unicum mihi ostendite ex iis ad Chorum Martyrum evertum, qui asserebant,

S f

Zelo

Zelo iustitiæ inductos se veniam negasse.

XXXI. *Memento novissimorum, & desine inimicari.* Non sentire primos iracundiæ morus Angelorum est (dicebant Sancti illi Eremitæ incolæ) sed iram nunquam deponere, est Diabolorum. *Desine inimicari.* Finiamus denique omnia iurgia, & hodierna quidem sit illa beata dies, quâ finiamus. Veniam proximo concedamus, ut pacem cum Deo nunc & in futurum habere mereamur, qui Adversarij nostris etiam tacentibus reconciliatio-

Matth. s. 14. nem nobis imperat: *Vade reconciliari fratri tuo.* Et si passio nostra dubias nobis hæc palmas facere conatur, ad Deum recurramus, qui favo-

re suo nos fortes efficiat; & in hac pugna victores Davidem æmulemur, qui cum in promptu haberet de Saule inimicissimo sibi Rege vindictam sumere, continuit sese, & Deum, ut in vehementi hac tentatione sibi succurreret, invocavit: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Et si DEUS in vota vocatus tam fuit ad subveniendum servo suo promptus, etique triumphum inter omnes, quos de se referre homo potest, maxime prodigiosum concessit; non dubitemus, quin etiam nobis sit adstiturus, ut tam insignia facta si non æquare, imitari saltem valeamus.



DISCURSUS XXIII.

De gravi malo Luxurie.

Nescio, an unquam fors tulerit, ut alicuius ex bibacibus illis decoctoribus lateri assideretis, qui omne suum tempus in cauponis absumunt, quasi eam solam ob causam vivant, ut vorent, & vorent, ut bibant. Hoc si vobis accidit, statim, credo, animadvertetis gravius eos vinum redolere, quàm dolum, à quo regrediuntur; ipsi tamen soli foetorem non notant, & cum alijs omnibus sint intolerabiles, sibi soli in re tam foeda non displicent. Habetis in his talibus Luxuriosi hominis

imaginem. Quemadmodum enim, qui sobrii sunt, redundantis illius vini foetorem sentiunt, non item, qui illo sunt ebrii; ita Sancti, & alij omnes boni infinito odio omnem sensuam spurcitiem persequuntur; cum contra illi, qui libidine inquinati sunt; quantumcunque coram Deo & hominibus plusquam morticinum foereant, foetoris nihil quidpiam percipiant, ac dicant: quid mali est sensuum quædam fragilitas? omnium, quæ facit homo, malorum minimum est. Videamus nonnihil, an ab huiusmodi ebriorum cerebro fumosas has exhalationes excutere valeamus, quibus